

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Atlas minor Gerardi Mercatoris**

**Mercator, Gerhard**

**Amsterodami, 1610**

Barbaria

[urn:nbn:de:bsz:31-118360](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-118360)

## BARBARIA.

*Regio.  
Unde dicta.  
Situs.*

*Soli fertilitas.*

*Animalium va-  
rietas.*

**I**N Africa, quam nos secundam cum Ptolemæo Orbis Partem fecimus, primo se offert loco *Barbaria* nobilissima Africæ regio. Ea nomen accepit vel a murmure inconcinno Incolarum, Arabibus dicto *Barbar*, eo quod Numidarum sermo. Arabibus talis videatur: vel a frequentibus desertis. *Bar* enim eorum lingua desertum sonat. Ab Ægypto ad Fretum usque Gaditanum pertinet, complectiturque Mauritaniam utramque, Tingitanam videlicet & Casariensem, Africam proprie dictam, Cyrenaicam, Marmaricam, cum Libya exteriore. Statuunt illi recentiores Africæ Scriptores ab ortu Solis Marmaricæ (quæ hodie *Barcha* dicitur) deserta ad Montis usque Atlantis partem hodie *Meis* vocatam, quæ pars a Strabone forte sub nomine *Aspis* describitur: huncque Montem Atlantem (secundum ejus ab Oriente in Occidentem ad Mare usque, quod ab eo Atlanticum nuncupatur, longitudinem) a Meridionali plaga habet: ab Occidente ipsum Mare Atlanticum: Septentrionale vero latus mare Mediterraneum lambit. Aer & Cœli qualitas hujus Regionis varia. Vere Cœlum mite, clemens, serenum: Æstate æltus vehementissimi, inprimis Junio & Julio, mensibus, Autumno calor remissior: Hieme frigus vehementius, potissimum circa Decembrem & Ianuarium, sed matutino dumtaxat tempore, adeo ut nemo ob frigus ad ignem accedere cogatur. Autumni finis, totaque Hiems, bonaque Veris pars, impetuosis plena ventis. Quin & grandinibus, fulguribus & tonitruis horridis interdum vexatur: neque deest aliquibus in locis Nix copiosa. Ager Dactylorum, Malorumque Punicorum feracissimus: sed Frumenti non adeo fertilis: unde ejus Incolæ magna ex parte panem conficiunt hordeaceum. Fructus alios profert magna copia, Cerasa, Ficus, Poma, Pira, Pruna, Mala Persica, Armenica, Cydonia, Olivas, & similes. Abundat Oleo, Melle, Saccharo. Multijugis item Armentorum, Pecudum atque Ferarum generibus. Alit enim hæc regio Dracones, Elephantes, Capreas, Bubalos, & similia Animalia: item Leones, ac Pardales: habet & Mustelas Felibus pares ac similes, excepta rictus eminentia: Simiarum quoque, maximam multitudinē. Coluerunt hanc Regionē primū *Phœnicū* Coloni, aliique: qui ex Asia aut Ægypto eo devenerunt: Postea paruit *Romanis*, tū *Græcis* Imperatoribus, deinde *Vandalis*, *Saracenis*, *Arabibus*: nunc partim *Turca* subest, partim proprio *Seriffæ*: *Hispaniarum* quoque; *Rex* Arces quasdam in ea possidet. Regna omnino quatuor sunt *Marocci*, *Fessæ*, *Telesinū* *Tunetanū*, quibus nonnulli *Barcæ* addunt. De duobus prioribus Marocci & Fessæ sequētibz Tabulis agetur, de reliquis hic agamus. *Telesinum* regnū quod vocant *Tremisen*, est *Mauritania Casariensis*. Longitudo







Urbes.

Portus.

tudo ejus ab Ortu in Occasum est CCCLXXX miliarium. Latitudo arcta, miliarium xxv, a desertis videlicet Numidiæ usque ad Mare Mediterraneum. Hujus regionis maxima pars, inculta est, arida atque aspera, eaque præsertim parte, qua Meridiem spectat. Maritimi autem agri aliquanto fertiliores atque fecundiores sunt. Raræ in hac parte urbes, raræque Castella. Metropolis est *Telesina*, quondam ampla, nunc magna ex parte collapsa. In eodem tractu est *Algira*, urbs magna & probe munita. Hæc a *Telesino Rege* primum defecit, ac *Bugia Regi* tributum solvit: postea hoc deserto *Ferdinandum* Regem Hispaniæ admisit. Denique capta a Barbarossa Imperio Ottomanico adjecta est. Celebris est Naufragio Caroli V, tristi Christianorum captivitate, & piraticis excursionibus Turcarum. Hodie ita præfidiis firmata est, ut humana ope vix possit expugnari. Hanc *Castaldus Salden* Ptolemæi fuisse opinatur, sed *Ortelius* cum nostro Mercatore putat *Salden* Ptol. nunc esse *Tadelis*: Iovius cense esse *Juliam Casaream*, & alii *Cirtam*. Sunt quoque urbs *Mersalabiri*, *Messagran*, *Mustaganin*, & alix. Duos habet hoc Regnum Maris Portus nobilissimos atque frequentissimos, alterum *Horami* seu *Orania* cum Arce munitissima, alterum *Marsa Eltabiri*, ad quos solet confluere maxima Mercatorum frequentia: præsertim ex Italia: qui ambo ab Hispaniarum Rege ante aliquot annos occupati fuere, non sine illius Regni maximo detrimento. Regnum *Tunesanum* continet totam Africam minorem & magnam Numidiæ partem. Nam a *Majori* fl. quem *Audum* Ptol. esse putat *Maginus*, usque ad *Mefratæ* regionis amnem extenditur. Hoc autem Tractu Ager satis fertiles est, ac frugibus ac Pecoribus apertissimus, Arboribus fecundissimus, præsertim ad Occasum; nam ad Ortum sterilibus est, & Aquarum inops. In hoc Regno urbes sunt *Bugia* ampla & copiosa, quam *Petrus Navarrenus* expugnavit spoliavitque anno *CICDVIII*. Hodie autem pulsis hispanis occupat *Turca*. Hæc Regioni *Bugia* nomen dedit. *Constantina*, quæ creditur *Cirta* fuisse, regia *Masimissa*, urbs est locuples, amœna, Muris altissimis præcincta. In eodem tractu centum pene mill. a Mari Mediterraneo est *Bona*, sive *Hippona* a Romanis condita, cujus ecclesiæ *D. Augustinus* præfuit. *Tunetum*, vulgo *Tunisi*, quæ *Themisa* Ptolemæi, initio parvum Opidulum fuit, sed postea crevit ex ruinis Carthaginis. In ea Templum est Mahumetanorum. *Amelia Benatos*. De *Tuneto* ita *Scaliger*;

*Invidio demolire altas Carthaginis Arces  
Quem fors aequalis, parque futura manet.  
En te invito iterum Horens excisa renascor.  
Te non vinco ego, nec me tamen ipsa premis.*

Ad



Ad Fretum Stagni vicini quod Tunetum ducit, sita fuit *Goletta* Arx, capta a Carolo v, destructa ab Vchialia Bafcia. *Carthago* condita a Phœnicibus multis ante Romam conditam annis, ampla, potens dives, Romæ æmula. Arcem habuit *Byssam*, media urbe sitam, exstructam a Didone, cujus spacium creditur fuisse duorum mill. passuum, nimirum *Taurino quantum potuit in cumdare tergo*. Urbis totius ambitus fuit *xxi i* mill. eamque totam fere Mare cingebat. Ejus Situm luculenter describit Appianus in Punicis. Imperium ejus non in Africa tantum sed in Europa longe lateque patuit: Hispaniam enim a Fretto ad Montes usque Pyrenæos domuit. Italiam, Siciliamque longo bello fatigavit. Tandem a Scipione capta totos dies *vii i* assit. Restituta est a C. Cæsare: posteaque a Vandalis, Gothis, Saracenis sæpius vastata: adeo ut nunc deserta ex magna parte sit, & præter rudera & aquæ ductus aliquot vix habeat quicquam antiquæ majestatis. De Carthaginensibus veteribus Plutarchus ista memoriæ prodidit Libro de superstitione: Mos fuit Carthaginensibus Deos placare infantibus impositis flagrantibus aris. Adstabat autem tunc Mater rigida & absque gemitu (*ἀνευκτος*) si autem ingemuerat, aut lachrymaverat, honore privabatur, puer autem nihilominus sacrificabatur. Erant præterea omnia plena tibiis canentium, & tympana pulsantium ante statuam, ne clamor exaudiretur. Scribit item Silius Italicus lib. 4 *Re-*rum Punicarum. Miserrimas autem gentes in tanta cæcitate, in tantis tenebris sine verbo manentes. Carthaginenses fuere Tertullianus & Cyprianus Ecclesiastici Scriptores valde eruditi, quorum etiamnum exstant scripta Theologica varia, singula in uno oper conjunctim edita. *Tripolis Babaria* hodie piraticis excursionibus nobilis, cum prius mercimoniis maxime afflueret. Flumina *Barbaria* sunt *Bagradas, Cynips, Tensist, Omirabib, Subu, Luccus*, cum multis alii. Regionis pars que mare Mediterraneum spectat, Montibus occupata est. Inter quos *Atlas*, qui in nubila erigitur in ipsam Lunaris Circuli viciniam, Cælumque & Sydera non tangere modo vertice, sed sustinere etiam dictus, Montium omnium, qui sunt in Africa Prens, & totius Africæ flumina procreans, cujus vertex Virgilio semper nivalis, rigidisque horret pruinis. Vento pulsatur & imbri piniferum caput. Silet, scribit Solinus, per diem universus, nec sine horrore secretus est. Lucet nocturnis ignibus, choris fatyorem ac bacchantium undique personatur. Audiuntur & cantus tiliarum, & tinnitus cymbalorum per oram maritimam. Manat præterea Fontibus, Nemoribus inhorrescit, Squalet jejunio, humo nuda, non herbida. Incolæ probissimi (si Leoni fides) sunt Viri: nullus illis fucus: simplicitatem atque veritatem non amplectetes modo, sed & re ipsa comprobâtes. Validissimi sunt atq; robustissimi; imprimis illi qui Montes incolunt De Ægypto proxima Descriptione agemus.

Flumina.

Montes.

Mores.

D d d d iij

Ægyptus